



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Microsynodus Treverina

Mosham, Ruprecht von

[Solingen], 1540

**VD16 M 6437**

Memoriale Rervm Apvd Reverendiss. D. Episcopvm Mutinen. Nuntium apostolicum [et]c. in aula Regia, nomine Rudberti à Mosham, doctoris, Decani Patauien. [et]c. per Dominu[m] Alexandrum Conualoner, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36773**

## MEMORIALE RERVM

APVD REVERENDISS. D. EPISCOPVM  
Mutinen. Nuntium apostolicum &c. in aula Regia, nomine Rud-  
berti à Moshan, doctoris, Decani Patavien. &c. per Dominũ Ale-  
xandrum Conualoner, Secretarium prædicti apostolici Nuntij,  
Brussellis expediendarum, ex Colonia XXIII. Februarij, Anno  
M D X L.

Primum omnium, Decanus maximopere rogat, & quantum licet,  
iubet Reuerendiss. Dominũ suo nomine per Secretarium officiosissi-  
me salutare, bene ualere et saluere.

Secundo, Quod Reuerendiss. Dominus certior fiat, Decanum ani-  
mum suum à pietate Christiana, à sede & ecclesia Romana nunq̃ alie-  
nasse: sed omnes preces suas, omnia studia sua, omnes denique uires su-  
as eò direxisse, ut authoritas & incolumitas Aposto. sedis conseruet.  
Et ut ante annos ferè tres, ea de causa desiderauerit et uoluerit adi-  
re Pont. Max. auxilio et intercessione supradicti Domini Reueren-  
diss. Ita nunc multo magis cupiat authoritate, consiliq̃ auxilio sa-  
cræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatis, & eiusdem Reuerendiss. Nuntij  
apostolici intercessione, uenire Roman, & salutare summum Præs-  
ulem orbis Christiani, contentions grauissimæ et omniũ periculosissi-  
mæ Fidei & religionis discutiendæ causa.

Tertio significandum Reuerendiss. Quod quemadmodum Deca-  
nus ante annos ferè tres Viennæ D. suæ Reuerendiss. obtulerit, & in  
conspectu legerit tria grauissima scripta, De manifestarijs abusibus  
in ecclesia Romana, cum summa authoritate Pon. Max. tollendis et cor-  
rigendis: Ita sese nunc, ex singulari & admirabili diuina gratia, in  
promptu habere, modum et rationem Lutherismi corrigendi et emedan-  
di, qui in articulo Iustificationis tam falsus, tam impius est, quam quic-  
quam omnium in Romana ecclesia possit. Hinc quicquid criminatio-  
num in abusibus Romanæ ecclesiæ Reuerendiss. Dominus audierit co-  
ram, in tribus illis grauissimis scriptis, illa omnia nec minora compe-

L

## MICROSYNODVS

tere in Lutheranos, Adeo quod peruersissima doctrina Lutherana cū  
abusibus Romanae ecclesiae recte & iuste aequari & cōpensari possit  
et debeat. Nam quantum ad abusus spectat, tam in Romana ecclesia  
quā in secta Lutherana omnia esse corruptissima. In ecclesia Roma-  
na nos fornicari carnaliter et impudenter multifaria contra uerbū.  
In Lutherana secta spiritaliter & subtiliter, contra uerbum, fides  
& charitatem dei.

Decanum ex diuina gratia et clemētia, in quatuor libris quibus ti-  
tulum fecit, De Monarchia & palingenesia fidei, conscripisse, & in-  
promptu habere tria maxima et praeipua quaedam, ad celerem & ex-  
peditam concordiam faciendam. Primum quo pacto debeamus abusus  
manifestarios in Romana ecclesia agnoscere & emendare. Secundū,  
quo pacto Lutherismus debeat corrigi aut condemnari. Tertium, quod  
est omnium maximum, planē diuinum & caelitus donatum donū, Nē-  
pe q. Decanus in composito & parato habeat conscriptam quandā me-  
diā doctrinā, quae nō sit neque Romana, neque Lutherana, neq. Ana-  
baptistica, neque etiam Zuuingliana, sed planē Christiana, apostolica  
et Euangelica. Praeterea in scriptis habere eundē Decanū, uerū et piū  
modū celeriter & pacifice celebrādi uere Christiani et oeconomici cō-  
cilij. Huc accedit modus cōcionādi, orādi, confitēdi et absolūdi, & ea  
omnia, quae summo Pōt. in sua Antibulla, corā Reuerēdis. Domino o-  
lim Viēnae lecta, sese cōscripturū Decanus pollicitus est. Et quis ma-  
gna et ingēs hāc sit pollicitatio, res tamē et ueritas facti maior erit.

Et cum Decanus compositis libris suis supradictis, à Principe Pa-  
tauiensi & Capitulo ibidē, insidiari animaduertisset, maluit dilectis-  
simam & multo charissimam suam Patauiam, beneficia sua omnia, &  
quicquid habuit, uno die potius relinquere, quā libros illos suos peri-  
clitari; praesertim cum eos non suo, sed digito dei, tanq̄ uere celeste do-  
num, quo deus afflicta & dissipata ecclesia suae succurrere uelit, cō-  
scriptos planissime intelligeret.

Abijt itaque à Patauia Norinbergam concedens, tanquā in ciui-

TREVERINA.

tatem Cæsareæ & Regiæ Maiestati benevolentem et obediētem, ni-  
 nusq; partialem & rebellem inter cæteras ciuitates imperiales cõs.  
 Illic Lutheri summi impietatis & antichristianismi publicè in Senatu  
 accusans. Hinc libros suos publicare prohibitus, Norinberga abiit,  
 concedens non ad alios Principes, ciuitates et status Lutheranos, sum-  
 mo Pontifici, Cæsareæ et Regiæ Maiestati rebelles, sed fretus sua cõ-  
 scientia, pietate, firmitate et sanctitate doctrinæ suæ, rectà conces-  
 sit ad summos Principes electores, nempe Palatinum, Moguntinum,  
 Treueren. et Colomen. A Moguntino libri sui uisi et perlustrati sunt,  
 uidelicet Primus de abusibus Romanæ ecclesiæ agnoscendis et corri-  
 gendis, & Quartus seu ultimus, De Lutherana secta emendanda, cor-  
 rigenda aut condemnanda. Horum duorum librorum in aula Mogun-  
 tina compendia duo per eundē Decanum extracta et conscripta sunt.  
 Interim Decanus prædictus à Principibus electoribus prænomina-  
 tis, maxime Moguntino, Treuerensi et Coloniensi honorifice tracta-  
 tus et habitus est. Qui etiam principes eundem Decanum cum quin-  
 que equis et quatuor suis discipulis et seruitoribus hæcenus aluerūt,  
 & suis ipsorum expensis intertenuerunt.

Nunc cum tota doctrina & conatus Decani ad celerem & inopi-  
 natam, maxime tamē necessariam pacificationem sectarum et discor-  
 diarum in religione faciendam spectet, Eapropter prædictus Deca-  
 nus petit obnixè & obtestatur per omnem pietatem & tranquillita-  
 tem Reipublicæ communis, et per fidem Christi Iesu, ut Reuerendiss.  
 Dominus Nuntius apostolicus, uelut apud Cæsaream & Regiam Ma-  
 iestatem summo studio efficere, ut illa pietatis causa tota, q̄ primum à  
 doctis, honestis et probatis uiris (in quorum numero Reuerendissimū  
 Dominum sæpeditum esse uehementer cuperet Decanus) audiatur,  
 examinetur & intelligatur: ut tandem plena & constanti fide ea res  
 ad sacræ Cæsareæ & Regiæ Maiestatem, tandem etiam consilio  
 et auxilio sacratissimi Cæsaris & Regis, ad Pont. Max. sanctiss. D.  
 nostrum referri possit. Rem omnē, quamuis supra fidē et expectatiōē

## MICROSYNODVS

mortalium, Decanus asserit esse ueram, efficacem, cœlitus demissam: qua deus misertus ecclesiæ suæ, oues Christi, quæ à uarijs & nunc discordantibus pastoribus uario modo dispersæ male pascunt, oculis misericordiæ suæ respexit.

Decanus fretus sua conscientia, pietate, reſtitutione et immobili constantia et sanctitate doctrinæ suæ, nihil reformidat, sine publica pace seu saluo conductu, ire, uenire, quocumque sacra Cæsarea & Regia Maiestas uocat: modo legitime audiatur, & à talibus iudicetur, qui malunt tranquillitati Reipublicæ communis & toti orbi Christiano consilere, quam sua dogmata contra aduersam partem pertinaciter defendere.

Decanus prædictus constanti fide asserit, omnia spectare aut ad summam et maximam tranquillitatem et concordiam in conspectu dei atque hominum paciscendam, aut ad summum et maximum, unò extremum interitum. Adesse tempus (nisi celeriter penitentiam egerimus, & ad dominum deum nostrum illiusq; omnipotentissimum uerbum conuersi fuerimus) quo ecclesia et euāgelij gratia rursus ad Iudæos, Turcas et Saracenos aliasq; gētes et infideles transferēda sit, iuxta clarissimam uaticinia, non solum Prophetarum, sed etiam aperta & indubia oracula apostoli Pauli ad Romanos II. Qui diuinus gentiū apostolus, ut id olim scripsit Romanis, sic Decanus ex epistola ad Romanos, & prophetis, nunc denuntiat Romano Pont. et Ro. ecclesiæ summis pastoribus Augustiss. Cæsari & Regi, alijsq; utriusque status summis præsidibus et præfectis sacri Romani Imperij.

His omnibus grauissimis de causis cupit Decanus ex intimo pectore secretum colloquium cum sacra Cæsarea & Regia Maiestate, & cum Reuerendiss. Domino prædicto, polliceturq; sese habere certum et indubitatum consilium, quo absque concilio generali et provinciali, celeri et breui manu, ueluti uirgula diuina, uniuersalis pax in ecclesiæ Romana et tota Europa coire et fieri possit, ut omnia arma & bellici apparatus, quibus in uiscera propria et sanguinē nostrū, intestina bel-

TREVERINA.

la horribili, crudeli et impio fremitu meditatur, in Turcas aliosq; in fideles conuerti possint, & id quide q̄ primum et citius q̄ ullus mortaliū credere queat.

Et cum Decanus sua spē pauper in Christo apostolus hactenus a Principibus electoribus alitus, & impensis illorum uiixerit, & libera liter cum equis, seruatoribus et discipulis suis intertentus fuerit: nunc uero sacra Cæsareæ et Regiæ Maieitati testamenti noui, nouū fœdus annuntiet, euangelizet et prædicet. Ea de causa idem Decanus cupit et petit sumptu et impensis sacratissimi Cæsaris et Regis ali et intertenti. Ut satis fiat diuinæ ordinationi, iuxta Apostolum 1. Corin. 9. ubi ait et testat̄ D. Paulus, quod sic dominus ordinauerit, ut qui Euāgelium annuntient, ex Euāgelio uiuant. Et quod nemo teneatur militare suis stipendijs, neq; plantare uineā, et de fructu eius non edere.

Sperat itaque Decanus, quod sacra Cæsareæ & Regiæ Maiestatas, non detrectabunt audire, quod dignati sunt audire Electores principes, & hi quide ecclesiastici, sacratiss. Cæsari et Regi maximopere fauentes et obedientes.

Ea igit prædicta omnia, cupit atq; rogat Decanus prædictus per Reuerendiss. Domini, summi Pont. Nuntiu apostolicū, cuius hoc officiu maxime propriū est, ad sacra Cæs. et Regiā Ma. liberalissime & fidelissime q̄ primū referri, et qcqd Augustiss. Cæsar et Rex in hoc Fidei & religionis negotio responderint et concluderint, per certum & certo pretio conductum nuntium, Decano prædicto ad curiam Archiepiscopalem Coloniae rescribi & renuntiari. Datum, ut supra.

Rudbertus à Mosham D.  
Decanus Patauen.

L iij

AD REVERENDISS. D. NVNTIVM APOSTO

licū, Ioannē Moranū Episcopū Mutinen. in aula Regia.

**E**Xpectans expectavi haecenus Reuerendiss. Praesul domine ob  
seruandiss. tanto desiderio uel sollicitudine et anxietate potius,  
indies et in horas ferē literas et respōsum, in causa onniū tā difficil  
lima q̄ utilissima, non minus à Reuerendiss. D. V. q̄ etiam à sacra Cae  
sarea et Regia Maestate per eandem R. D. V. sollicitandam. Cum autē  
diuinare non possim, quid nam potissimū in causa sit, q̄ haecenus tam  
nullo dignus respōso habitus fuerim, ideoq; nec temere quidem iudi  
care uolo, h̄ nec mentem D. V. R. quam scio erga pietatem optimam et  
innocētissimam esse intellexero, adeo ut plane mihi persuadeam, quōd  
mora in D. V. R. nulla fuerit, Sed q̄ grauiore aliquā causā sint quā  
ego ullomodo augurari possim, quas tamen intelligere uehementer cu  
pio. Eapropter mitto in praesentiarum nuntium & oratorem meum  
non minus ad sacram Cæsaream et Regiam Maestatem, q̄ ad Reuerē  
diss. D. V. ut in conuentu Spirensi, qui solius religionis componendae  
causa iam indictus est, consilia mea unā cum salubri et plane celesti  
doctrina, quam deus his turbulentissimis discordiarum temporibus se  
dandis coelitus demisit et manifestauit, Deus opt. max. uelit, ne per  
magnam nostram incredulitatem, diuinam oblatam gratiam temere  
& contemptim pedibus calcemus et reijciamus. Rogo itaque per fidē  
Christi Iesu, ut R. D. V. apud utranq; Maest. efficere uelit, ne causa  
nec cognita nec intellecta negligat et reijciat. Ausim optima et cere  
tissima cōscientia imō scientia affirmare, iā constare pacē in toto or  
be Christiano, modo ueritatem liberaliter audire, & toto corde corā  
deo et hominibus profiteri uelimus. His paucis hoc pientissimum nego  
tium unā cum nuntio meo Reuerendiss. D. V. obsequentiissime commen  
do, & ut paucis mihi rescribatur magnopere rogo. Datum Coloniae  
Agrippinae, III. Maij, Anno MDXL.  
Eiusdem Reuerendiss. D. V.

Deditissimus.